AUTHOR:

GOTTLING,
K[ARLWILHELM]

TITLE:

ANIMADVERSIONVM
CRITICARVM IN...

PLACE:

IENAE

DATE:

[1867]


Master Negative #

92-80480-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



886E
Z8
v.5 Göttling, K[arl Wilhelm], 1793-1869.
...Animadversionvm criticarvm in Sophoclis Philoctetam, part I. Ienae, prostat in Libraria Braniana, [1867].
8 p. 28 x 22 cm.

At head of title: Index scholarvm aestivarvm publice et privatim in Vniversitate litterarvm Ienensi ... habendarvm...
Volume of pamphlets.

Restrictions on Use:



TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3/11/92 INITIALS TM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

no. 9

9

Septbr 1855

Herrn Prof. Dr. Wieseler
in Goettingen

INDEX
SCHOLARVM AESTIVARVM
PVBLICE ET PRIVATIM
IN
VNIVERSITATE LITTERARVM IENENSI
INDE A DIE XXIX M. APRILIS VSQVE AD DIEM XXXI M. AVGVSTI A. MDCCCLXVII
HABENDARVM
AVCTORITATE
PRORECTORIS MAGNIFICI
C. A. GERHARDT
MEDICINAE ET CHIRVRGIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS P. O.
ET
SENATVS ACADEMICI
EDITVS.

PRAEMISSA EST
C. GOETTLINGII ANIMADVERSIONVM CRITICARVM IN SOPHOCLIS PHILOCTETAM
PART. I.

IENAE
PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA
cuius possessores sunt Fridericus Bran, Dr. Ph., et Hermannus Mauke.

Constat inter omnes quam egregie Sophocles sapientissimus mores pinxerit personarum, quibus in tragoediis usus est. Inprimis Vlixis. Providum et prudentissimum descripsit, fortem etiam si securus esset eventûs, ironem nunquam, neque in Aiace nec in Philocteta. Illud est igitur quod in coniectura quadam V. Cl. Welckeri vitupero, quam proposuit in Mus. Rhen. I. p. **443**; scribendum enim ei videbatur *τρυφή* pro *τροφή* (vs. **32**) *οὐδ' ἔνδον οἰκοποιός ἐστί τις τρυφή*; „als ironisch hartherziger Ausdruck für das Nothdürftigste, was die Höhle zum Hause macht.“ Atque prorsus eodem modo interpretatur *θησαύρισμα* (v. **37**). Neutrum recte, ut mihi videtur, quum ironiam non ferant mores Vlixis Sophoclei, qui de se ipse sic dicit v. **1031** Philoct.:

οὗ γὰρ τοιούτων δεῖ, τοιοῦτός εἰμ' ἐγώ.
χὤπου δικαίων κἀγαθῶν ἀνδρῶν κρίσις
οὐκ ἂν λάβοις μου μᾶλλον οὐδέν' εὐσεβῆ.

Verbum primarium est enim *οἰκοποιός*, quo omnia ea continentur quae speluncam quodammodo efficiunt domum, ita ut diuturna *hominis* ali-

A 2

cuius mansio agnosci debeat, τροφή vero est secundarium, quo ea significantur, quibus paullatim assuescimus quotidiano diuturnoque usu, quamvis sint rudia. Nunc igitur quam praepropera fuisset nova Vlixis interrogatio eaque ironica οὐδ' ἔνδον οἰκοποιός ἐστί τις τρυφή! tanquam certissime exspectari potuisset inventam iam tunc esse speluncam Philoctetae, de quo dubitare debebat Vlixes quum haec audisset respondentem Neoptolemum: στειπτή γε φυλλὰς ὡς ἐναυλίζοντί τῳ quod potuit intelligi etiam de animalis alicuius cubili, non de Philoctetae spelunca. Postea demum quum Neoptolemus etiam alia reperisset,

αὐτόξυλόν γ' ἔκπωμα φλαυρούργου τινὸς
τεχνήματ' ἀνδρὸς καὶ πυρεῖ' ὁμοῦ τάδε,

certior fit Vlixes de Philocteta dicens

κείνου τὸ θησαύρισμα σημαίνεις τόδε

quod non profertur sine aliqua misericordia ac tristi commotione. Ipse θησαυρός (cuius quasi est deminutivum θησαύρισμα) non est vox hybrida, ut putant, sed vere Graeca; descendit enim a τίθημι et ἄωρ (cf. Odyss. XVII, 222. αἰτίζων ἀκόλους, οὐκ ἄορας οὐδὲ λέβητας. ἄορες enim et λέβητες sunt res quas dono accipiunt hospites nobiles et quum reduces facti sunt reponunt in penu, ἄκολοι pertinent ad mendicos.

v. 100 ΝΕ. τί οὖν μ' ἄνωγας ἄλλο πλὴν ψευδῆ λέγειν;
ΟΔ. λέγω σ' ἐγὼ δόλῳ Φιλοκτήτην λαβεῖν.
ΝΕ. τί δ' ἐν δόλῳ δεῖ μᾶλλον ἢ πείσαντ' ἄγειν;
ΟΔ. οὐ μὴ πίθηται· πρὸς βίαν δ' οὐκ ἂν λάβοις.

ΝΕ. οὕτως ἔχει τι δεινὸν ἰσχύος θράσος;
ΟΔ. Ἰοὺς ἀφύκτους καὶ προπέμποντας φόνον.
ΝΕ. οὐκ ἆρ' ἐκείνῳ γ' οὐδὲ προσμῖξαι θρασύ;
ΟΔ. οὔ, μὴ δόλῳ λαβόντα γ' ὡς ἐγὼ λέγω.
ΝΕ. οὐκ αἰσχρὸν ἡγεῖ δῆτα τὰ ψεύδη λέγειν;
ΟΔ. ο"κ, εἰ τὸ σωθῆναί γε τὸ ψεῦδος φέρει.
ΝΕ. πῶς οὖν βλέπων τις ταῦτα τολμήσει λαλεῖν;
ΟΔ. ὅταν τι δρᾷς ἐς κέρδος, οὐκ ὀκνεῖν πρέπει.
ΝΕ. κέρδος δ' ἐμοὶ τί τοῦτον ἐς Τροίαν μολεῖν;
ΟΔ. αἱρεῖ τὰ τόξα ταῦτα τὴν Τροίαν μόνα.
ΝΕ. οὐκ ἆρα πέρσων, ὡς ἐφάσκετ', εἴμ' ἐγώ;
ΟΔ. οὔτ' ἂν σὺ κείνων χωρὶς οὔτ' ἐκεῖνα σοῦ.
ΝΕ. θηρατέ' οὖν, θηρατέ', εἴπερ ὧδ' ἔχει.

Vlixes Neoptolemum, generosae indolis puerum gloriae tamen avidissimum, captiosis responsionibus ita illaqueat, ut missis omnibus nobilioris naturae velut ambagibus promittat se executurum quicquid Vlixes sibi iusserit de fallendo Philocteta (v. 95—121). Nempe postquam Neoptolemus ex Vlixe quaesivisset (v. 100) τί οὖν μ' ἄνωγας ἄλλο πλὴν ψευδῆ λέγειν; denuo interrogat (v. 108) quasi ea videantur incredibilia οὐκ αἰσχρὸν ἡγεῖ δῆτα τὰ ψεύδη λέγειν (i. e. *eiusmodi mendacia*). Sic enim τὰ ψεύδη, non ψευδῆ, scribendum pro τὰ ψευδῆ, cui respondetur ab Vlixe: *Quidni? si id ipsum mendacium salutem nobis afferat atque utile sit? At*, inquit, alter, *Philoctetam proficisci in Troadem quid mihi lucri afferat*, quasi videatur id ipse

oblitus esse Neoptolemus quod olim monuisset Vlixes v. 68: *εἰ γὰρ τὰ τοῦδε τόξα μὴ ληφθήσεται, οὐκ ἔστι πέρσαι σοι τὸ Δαρδάνου πέδον.* Verum si cum Laurentiano codice primario scribatur *ἐμοί*, ut primus fecit G. Dindorfius, recte videntur habere omnia. Haec enim est Neoptolemi sententia: *igitur si mentiendum erat, quod nesciebam, eligendus a vobis erat alius qui pro me mentiretur, non ego;* sc. ut Philoctetae arma capiat mentiatur alius, ego vero sine mendaciis Troiam capiam, ut vates dixerunt; tandem quum Vlixes dixisset *οὔτ' ἂν σὺ κείνων χωρὶς οὔτ' ἐκεῖνα σοῦ*, eo fiduciae progressus est Neoptolemus ut tandem dubitare desinat. Igitur sine *γίγνοιτ' ἄν*, quod neque conveniret egregii iuvenis moribus, nec adiectivo verbali in *τέον* desinenti, hic bis usus est *θηρατέα* vocabulo, ut promptissimus esse videatur faciendae rei, per se turpi. Librarius qui verbale *θηρατέα* per dissographiam repetitum esse putavit, expunxit alterum tanquam ineptum languidissimeque *γίγνοιτ' ἄν* substituit tanquam elegantius. Sed etiam alias, atque in eodem Philocteta (v. 759), eadem epanalepsi usus est, si cum emphasi quadam proferuntur *ἰὼ ἰὼ δύστηνε σύ, δύστηνε δῆτα διὰ πόνων πάντων φανείς* atque inprimis haec repetita vocabula apud Aeschylum reperiuntur in Choricis. Egregium est etiam *occidit. occidit* illud Hannibalis apud Horatium (Carm. IV, 4, 70). Raro tamen ter repetitum esse aliquod vocabulum monent grammatici, quamquam in choricis hoc sibi licere putavisse videtur Aeschylus Pers. v. 1010. 1018. Sed etiam in senariis sibi id indulsisse poetas dixit Apollon. Synt. p. 4, 18. *Βαρὺς βαρὺς σύνοικος.* „exemplum comici poetae esse videtur, in qua opinione me confirmavit eiusdem *χρήσεως*

scriptura quam Ioh. Siceliota apud Walzium Vol. VI. p. 338. servavit *ἐπαναδιπλώσεως* exemplum afferens hoc: *βαρύς, βαρὺς σύνοικος, ὦ φίλοι, βαρύς.*" Meinekivs Com. ed. min. p. XXIII. v. Nauckius Tragic. Gr. Fr. p. 656. Meinekius igitur propter *τριαγμόν*, ut hoc utamur vocabulo, comicum fragmentum esse putavit, fortasse quod Comicorum princeps (von allen Geistern, die verneinen, ist mir der Schalk am wenigsten verhasst) *τῷ τραγικωτάτῳ* Faustio nostro dixerat: *du musst es dreimal sagen.* Sed apud Shakespearium in Hamleto legimus: *O schaudervoll, schaudervoll, höchst schaudervoll!* Verum tragici alicuius esse etiam id de quo sermo est exemplum patet ex Philodemo in Herculanens. Volum. quae supersunt Coll. alter. T. IV. p. 120. (1864). Is enim hunc versum Sophoclis esse dicit eumque laudat ita: *Βαρύς, βαρὺς σύνοικος, ὦ ξένοι, βαρύς.* Titubavit scriba postea v. 25. scribendo *ξένοικος.*

ΠΞΠCΠ‹Α ΝCΕΧΕΙΝΠΚΑ
ΚΩCΤΟΝ ΧΟΝΠΟΕΙΝΚΑ
ΛΩCΜΕΝ ΠΑΡΑCΟΦΟΚ
ΒΑΡΥCΒΑΡΥCΥΝΟΙΚΟ
ΞΕΝΟΙΒΑ ΥCΟΥΔΙΑΤΗΝ
ΝΘΕCΙΝΩCΤΙΝΕC
ΤΩΙ CΞΕΝΟΙΚΟC
ΩΞΕΝΟΙΒΑΡΥCΒΑΡΥCΕΙΠΕΡ

Cetera sic fortasse restituenda: καλῶς ἔχειν ἢ κακῶς τὸν ἦχον ποεῖν. καλῶς μέν ἐστι παρὰ Σοφοκλεῖ βαρύς, βαρύς σύνοικος, ὦ ξένοι, βαρύς, οὐ διὰ τὴν ἐπένθεσιν ὥς τινες βούλονται τῷ βαρὺς σύνοικος, ὦ ξένοι, βαρύς, βαρύς.

Similiter Philoct. **1045**:

βαρύς τε καὶ βαρεῖαν ὁ ξένος φάτιν
τήνδ' εἶπε.

v. **225**. οἰκτίσαντες ἄνδρα δύστηνον, μόνον,
ἔρημον ὧδε, κἄφιλον καλούμενον

Saepius tentatum est καλούμενον aperte falsum, postremo a Bergkio κωλούμενον. Sed non potuit oblivisci vulneris sui Philoctetes, scribendum igitur videtur κολούμενον vel si mavis κεκολουμένον idque tanquam gravissimum infortunium ultimo loco ponit Philoctetes digitum intendens posituraque a κἄφιλον distinguens.

v. **1251**. Ex neglecta stichomythia concludi potest legendum esse ξὺν τῷ δικαίῳ χειρὶ πείθομαι τὸ δρᾶν omissis quae interiecta sunt.

LECTIONES

I. ORDINIS THEOLOGORUM

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

CAROLUS AUGUSTUS HASE, D. *privatim* dd. senis h. X *Historiae ecclesiasticae partem priorem* enarrabit, *publice Seminarii theologici* exercitationes una cum collegis SS. VV. moderari perget die Iovis horis vesp. VIII et IX.

IO. CAR. ED. SCHWARZ, D. *privatim* 1) *Artem catecheticam* et *theologiam pastoralem* docebit, diebus Lunae, Martis et Mercurii h. XI—XII; 2) *Pericopas epistolicas in usum homileticum* interpretabitur, diebus Iovis et Veneris hora eadem. *Publice exercitationes Seminarii homiletici*, d. Mercurii h. XII, *catechetici* die Saturni hora XI moderabitur ita quidem, ut cum illis *exercitationes liturgicae* coniungantur.

LEOPOLDUS IMMANUEL RÜCKERT, D. h. t. Decanus, *privatim* 1) *Pauli ad Galatas et ad Corinthios* epistolas interpretabitur, senis dieb. hora VIII; 2) *Ethicen theologicam* proponet senis dieb. h. IX.— *Seminarii theologici* exercitationes moderari perget una cum Collegis S. VV.

CAROL. LUDOV. WILIBALDUS GRIMM, D. *privatim* 1) cursum interpretationis N. T. denuo auspicaturus *evangelia Matthaei, Marci, Lucae* interpretabitur, sexies hor. VIII—IX et bis II—III.— 2) *Encyclopaediam et methodologiam theologiae cum lineamentis litteraturae theologicae* tradet sexies h. XI—XII.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

ADOLPHUS HILGENFELD, D. *privatim* 1) *Epistolas et evangelium Ioannis* interpretabitur sexies p. h. hora VIII; 2) *Isagogen historicam criticam in Novi Testamenti* codicem singulosque libros tradet sexies p. hebd. h. IX; 3) *Theologiam Biblicam* utriusque Testamenti docebit sexies per h. hor. XII.

GUSTAVUS FRANK, Theol. Lic., *privatim* 1) *Genesis* librum interpretabitur quinquies in hebd. h. VII—VIII; 2) *Historiam dogmatum christianorum* enarrabit quinquies in hebd. h. V—VI.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRANCISCUS OVERBECK, Lic. theol. et D. ph., 1) *privatim Pauli* ad *Romanos epistolam* interpretabitur quater in hebd. hora VIII—IX; 2) *gratis Historiam aevi apostolici* enarrabit, bis in hebd. h. VI—VII

ADALBERTUS MERX, Lic. Theol., D. ph. 1) *privatim* quinquies per hebd. *librum Iobi* interpretabitur hora VII—VIII matutina; 2) *gratis societatem exegeticam veteris testamenti* moderari perget die Lunae hor. VI—VIII vespert.; 3) disseret *de cultu mosaico* bis per hebd. hora VI—VII vesp.; 4) obfert *elementale neopersicum privatissime* sed *gratis* horis commodis.

II. ORDINIS IURECONSULTORUM

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

HENR. AEM. AUG. DANZ, D. *privatim* 1) enarrabit *Historiam iuris Romani* secundum librum: *Danz, röm. Rechtsgeschichte* sexies per hebd. h. IX—X; 2) *Ius hereditarium* quinquies p. hebd. hor. XI—XII librum secuturus: *Arndts, Pandekten.*

HENRICUS LUDEN, D., h. t. Decanus, *privatim* senis dieb. h. IX *Ius criminale tam commune quam particulare* explicabit.

BURCARD. GUILELMUS LEIST, D. *privatim* docebit 1) *Institutiones iuris Romani* sexies per hebd. h. XI—XII; 2) *Exercitationes exegeticas* ad explicandos difficiliores fontium iuris Romani locos instituet horis adhuc definiendis.

FRIDERICUS DE HAHN, D. *privatim* docebit 1) *Ius Germanicum privatum*, quotidie hora VIII; 2) *Ius feudale* bis per h. h. VII.

GUIL. ENDEMANN, D. docebit 1) *Processum civilem tam ordinarium quam summarium*, sexies hora XI—XII et bis h. XII—I; 2) *Ius commerciale et cambiale* quater hora XII—I.

THEOPH. CHRIST. SCHUELER, D. *Ius criminale* tam *commune* quam *particulare* docebit quotidie, hora adhuc defin.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

GUIL. LANGENBECK, D. docebit 1) *Artem ex actis iudicialibus referendi* ter per hebd. hora VIII—IX; 2) *Collegium processuale practicum* bis per hebd. hora VIII—IX; 3) *Encyclopaediam et methodologiam iuris* quater per hebd. hora X—XI; 4) *Theoriam processus civilis* quotidie hora XI—XII et semel h. XII—I.

ROBERTUS HERMANN, D. *Ius privatum Germanicum* hora VIII—IX docebit; *Historiam iuris Germanici et publici et privati* hora X—XI enarrabit.

HUGO BURCKHARD, D. *privatim* docebit *Pandectas* excepto iure hereditario quotidie horis matutinis VII—IX.

3. PRIVATIM DOCENTIS.

FRIDERICUS BROCKHAUS, D. *privatim* docebit quinquies per hebd. hora X *Ius publicum Germanicum.*

III. ORDINIS MEDICORUM

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

F. RIED, D. docebit 1) *Chirurgiam practicam* (Akiurgiam una cum Akologia et Desmologia) quinquies p. hebd. hor. VIII—IX; 2) *Clinicen et policlinicen chirurgicam* in nosocomio Magniducali quotidie hora IX—X; 3) *Cursum operationum chirurgicarum in cadaveribus* instituendarum hor. II—IV.

CAROLUS GEGENBAUR, D. tradet 1) *Osteologiam et Syndesmologiam* ter per hebd. h. XII—I; 2) *Anatomen comparatam* quinquies per hebd. hora XI—XII; 3) *Corporis humani conformationem* semel per hebd. hora XII—I *publice*; 4) *Exercitationes anatomicas et histiologicas privatissime* moderabitur horis adhuc definiendis.

BERNARDUS SIGM. SCHULTZE, D. 1) *Scholas clinicas gynaecologicas et obstetricias stationarias* in Lechodochio Magniducali nec non *ambulatorias* moderabitur quotidie hora VIII—IX; 2) *Cursus operationum obstetriciarum* habebit horis definiendis.

C. A. GERHARDT, D. *privatim* 1) *Clinicen* et *policlinicen medicam* quotidie inde ab hora XI; 2) *Pathologiam et Therapiam specialem* quinquies per hebd. hora V—VI; 3) *Materiam medicam* quater per hebd. hora VI—VII.

GUILELMUS MÜLLER, D., h. t. Decanus, 1) *Anatomiam pathologicam specialem* sexies tradet hora VII—VIII; 2) *Exercitationes microscopicas* offert die Lunae et Iovis hora X—XI.

IOANNES CZERMAK, D. 1) *privatim Physiologiam hominis* part. II docebit quotidie hora X—XI exceptis diebus Saturni, Solis et diebus festis; 2) de *Generatione et propagatione* semel per hebd. horis posthac definiendis *publice*.

2. PROFESSORIS EXTRAORDINARII.

L. SCHILLBACH, D. tradet 1) *Scholas clinicas ophthalmo-otiatricas* bis p. hebd. hora X—XI *privatissime sed gratis*; 2) *Pathologiam et Therapiam morborum auris humanae* ter p. hebd. hora VII—VIII matut. *privatim*; 3) *Pathologiam et therapiam herniarum et vulnerum* ter per hebd. hora VII—VIII matut. *privatim*; 4) *Cursum ophthalmoscopicum privatissime*; 5) *Cursum operationum in oculo humano* instituendarum *privatissime*.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

F. SIEBERT, D. tradet *gratis Psychiatriam* cum demonstrationibus psychiatricis in nosocomio Magniducali psychiatrico coniunctam ter per hebd. hora IV—V.

FERDIN. FRANKENHÄUSER, D. tradet *publice Morbos gravidarum et puerperarum* bis per hebd. diebus Martis et Iovis h. IV—V.

IV. ORDINIS PHILOSOPHORUM

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

CAR. GUIL. GOETTLING, D. *privatim* 1) tradet *Antiquitates politicas populi Graeci*, quater p. hebd. h. IX; 2) in *Seminario philologorum Sophoclis* Philoctetam enarrare perget hor. V.

CAROLUS SNELL, D. tradet 1) *Mechanicae analyticae* partem priorem sexies per hebd. hora XII *privatim*; 2) *Theoriam caloris mechanicam* ter per hebd. hora posthac indicanda *privatim*.

IO. GUST. STICKEL, D. *privatim* 1) *Psalmos* hora VII—VIII interpretabitur; *publice* 2) *Elementa linguae Syriacae* bis p. hebd. exponet; 3) *scriptores Arabicos* et *Chaldaicos* binis horis explicabit, et 4) *Seminarium* suum *orientale* moderari perget.

CAROLUS NIPPERDEY, D. 1) *Syntaxeos Latinae* partem priorem tradet, binis diebus, hora XI, *privatim*; 2) *Horatii Satiras* interpretabitur, binis diebus, hora XI, *privatim*; 3) in *Seminario philologo* interpretationem *Taciti* et disputationes de *commentationibus* sodalium instituendas moderabitur, binis diebus, hora V, *publice*.

E. E. SCHMID, D. docebit *privatim* 1) *Mineralogiam universalem* quinis per h. diebus h. VII—VIII; 2) *Meteorologiam* ternis per hebd. diebus hora posthac def.; 3) *Exercitationes chemico - et krystallographico chemicas* solito more moderari perget; 4) *publice Excursiones et demonstrationes geologicas et palaeontologicas* cupientibus offert.

CUNO FISCHER, D. *privatim* 1) *Logicen et Metaphysicen* (duce libro suo „*System der Logik und Metaphysik oder Wissenschaftslehre, zweite völlig umgearbeitete Auflage, Heidelberg, Fr. Bassermann* 1865“) docebit, quater per hebd. diebus Martis, Mercurii, Iovis, Veneris hor. VII antemeridiana; 2) *Philosophiae recentissimae historiam* explicabit, quater per hebd. diebus Martis, Mercurii, Iovis, Veneris hora IV pomeridiana; 3) de *Shakespearii arte dramatica* disserere perget.

ADOLPHUS SCHMIDT, D. 1) *privatim Historiam annorum* 1840—1848 enarrabit quater per hebd. diebus Martis, Mercurii, Iovis, Veneris hora III—IV; 2) *publice Exercitationes historicas* moderari perget.

BRUNO HILDEBRAND, D., h. t. Decanus, *privatim* tradet 1) *Encyclopaediam litterarum politicarum* ter per hebd. hora V—VI; 2) *Doctrinam de reditibus publicis (Finanzwissenschaft)* quater per hebd. hora IX; 3) *Seminarii politici exercitationes* dirigere perget.

IO. GEORG. ANTONIUS GEUTHER, D. tradet 1) *Chemiam* sexies per hebd. h. VIII—IX; 2) *Chemiam organicam* quater per hebd. hora III—IV. In laboratorio academico *Praxin chemicam* docebit.

N. PRINGSHEIM, D. *privatim* 1) *Botanicen generalem* i. e. anatomiam, morphologiam, physiologiam, systema plantarum, tradet quinquies per hebd. hor. IX—X diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris; 2) *Usum microscopii* docebit et *exercitationes microscopicas* moderabitur bis per hebd. diebus Martis et Iovis horis X—XII.

ERNESTUS HAECKEL, D. tradet 1) *Zoologiam generalem*, quinquies per hebd. horis adhuc definiendis *privatim*; 2) *Histologiam corporis humani*, cum *cursu microscopico practico* coniunctam diebus Martis et Iovis hor. V—VII *privatim*; 3) *Exercitationes zoologicas practicas* quater p. h. *privatissime*.

GUSTAV. SUCKOW, D. tradet 1) *publice* ter per hebd. hora XII—I *Meteorologiam* experimentis illustratam iuxta *Dovii* librum: *Meteorologische Untersuchungen, Berlin* 1837; 2) *privatim* quinquies per hebd. hor. VII—VIII *Mineralogiam* et *Geognosiam* una cum excursionibus; *privatissime Exercitationes chemicas et technologicas* in laboratorio suo perget dirigere.

GUST. EDUARD. FISCHER, D. *privatim* docebit 1) *Oeconomiae publicae practicam partem (Volkswirthschaftspolitik)* quinis diebus hora IX; 2) *Doctrinam de politia (Polizeiwissenschaft)* quater per hebd. hora posthac definienda. *Seminarii politici* exercitationes die Lunae hh. vesp. VI—VIII moderari perget.

AUGUSTUS SCHLEICHER, D. *publice* 1) *Historiam stirpis indogermanicae* enarrabit semel per hebd. hor. XII; *privatim* 2) *Elementa grammaticae comparatae linguarum indogermanicarum* docebit duce libro suo 'Compendium der vergl. gramm. der indogerm. sprachen, zweite aufl., Weimar 1866' quater hora X; 3) *Historiam litterarum germanicarum antiquiorum* tradet bis h. XII; *privatissime sed gratis* 4) *Exercitationes grammaticas* moderari perget h. p. i.

CAROLUS FORTLAGE, D. *privatim* 1) *Philosophiam practicam* exponet quaternis diebus hora XII; 2) *Psychologiam* docebit duce libro suo: *System der Psychologie (Leipzig, Brockhaus* 1855) quater p. h. hora III.

E. STOECKHARDT, D. *privatim* in schola georgica quinquies per hebd. hora VII—VIII mat. tradet 1) *Agriculturae* et *pecuariae* partem priorem; 2) *Scientiam agriculturae machinarum* nec non *excursiones et demonstrationes* in agris peraget.

CHRIST. ED. LANGETHAL, D. *privatissime* 1) *Botanicen oeconomicam* et *Physiologiam plantarum* sexies per hebd. hora XI—XII; 2) *Doctrinam de agrorum pratorumque natura* hor. V—VII scholae georgicae sodalibus tradet et *Excursiones* in agro Ienensi instituet.

MAURICIUS SCHMIDT, D. *privatim* 1) *Graecarum litterarum historiam* enarrabit quinis diebus hora VIII—IX; 2) *Praefatus de Pindari vita et ingenio carmina eius selecta* interpretabitur quaternis diebus hora XII—I.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

LUD. SCHRÖN, D. *privatim* 1) *Astronomiam popularem* quaternis diebus hor. III—IV; *privatissime* 2) *Geometriam practicam* quaternis diebus hora I—II cum exercitationibus ope instrumentorum observatorii Magniducalis atque suorum foris instituendis et 3) *Astronomiae practicae* partem theoreticam vel usus instrumentorum speculae astronomicae Magniducalis atque reductionis (quae dicitur) theoriam ter per hebd. hora IX—X docebit.

GUIL. FR. WILIBALD. ARTUS, D. docebit *privatim* 1) *Chemiam generalem* hora VIII—IX; 2) *Chemiam organicam* et *physiologicam* hora adhuc definienda; 3) *Pharmacologiam* una cum *arte formulas medicas concinnandi* et *praeparandi* duce libro suo: „*Receptirkunst*, 2. *Aufl.*" hora adhuc definienda; *privatissime* autem 4) *Exercitationes chemicas* consueto more moderari perget.

IO. ERNEST. LUD. FALKE, D. 1) *Physiologiam animalium domesticorum* quater per hebd.; 2) *Hippologiam* bis per hebd. *privatim* docebit.

HERMANNUS LUDWIG, D. *privatim* tradet 1) *Chemiam forensem* bis per hebd. die Veneris et Saturni hora XI—XII; 2) *Scholas chemicas practicas* hora VIII—XII, etiam horis pomerid. in laboratorio chemico instituti chemico-pharmaceutici quotidie moderabitur; *privatissime* in instituto chemico-pharmaceutico docebit 3) *Phytochemiae* partem alteram una cum *Pharmacognosia chemica* (duce libro: *Cl. Marquart, Lehrbuch der Pharmacie, II. Aufl., bearbeitet von E. Hallier und H. Ludwig* 1865—1866), quater per hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis hora XI—XII; 4) *Zoochemiam* dieb. Lunae, Mercurii et Iovis, hora III—IV; 5) *Exercitationes analytico-chemicas* et *chemico-pharmaceuticas* in laboratorio instituti chemico-pharmaceutici diebus Martis et Veneris hor. II—IV moderari perget; 6) *Examinatorium chemico-pharmaceuticum* die Lunae h. V—VI. Conventus *societatis pharmaceutico-physicae Ienensis* die Lunae agentur.

C. I. P. HERM. SCHAEFFER, D. docebit *privatim* 1) *Arithmeticam* quater per hebd. hora VI—VII antemer.; 2) *Analysin algebraicam* quater per hebd. hora XII—I; 3) *Physicen experimentalem* sexies per hebd. hora X—XI; *privatissime*

4) *Geometriam practicam* in schola georgica bis per hebd. diebus Lunae et Veneris hor. V—VII. Praeterea *privatissime* sed *gratis Exercitationes mathematicas* hora posthac definienda moderabitur.

ED. REICHARDT, D. 1) *Chemiae historiam gratis* enarrabit semel per hebd. die Lunae hora V—VI; 2) *Chemiam technologicam* docebit sexies per hebd. hora VIII—IX; 3) *Chemiam analyticam* bis per hebd. diebus Mercurii et Iovis hora V—VI; 4) *Exercitationes chemicas* in laboratorio scholae georgicae Magniducali moderabitur.

BERN. MAUR. VERMEHREN, D. 1) *Geographiam veterem* tradet, ter per hebd. hora II, *privatim*; 2) *Platonis Symposium* enarrabit, bis per hebd. hora II, *publice*.

ERNESTUS HALLIER, D. tradet 1) *privatim Physiologiam et Morphologiam plantarum*, quinquies per hebd. hora IX—X; 2) *privatim Cognitionem plantarum* usui medico pharmaceutico inservientium secundum ordines naturales plantarum quinquies per hebd. hora X—XI duce libro: *C. Marquart, Lehrbuch der Pharmazie, bearbeitet von H. Ludwig und E. Hallier*; 3) *publice Demonstrationes microscopicas* instituet die Saturni hora IX—X; 4) *publice Exercitationes botanicas* moderabitur die Saturni hora X—XI; 5) *publice Excursiones* in agro Ienensi instituet.

RUDOLPHUS GAEDECHENS, D. 1) *publice Monumenta quae in museo archaeologico asservantur* explicabit, diebus Merc. et Sat. hora XI—XII; 2) *privatim Encyclopaediam et methodologiam archaeologiae universae artium a Graecis Romanisque cultarum* docebit diebus Martis Mercurii Iovis Veneris h. X—XI; 3) *privatissime* sed *gratis Exercitationes societatis archaeologicae* moderari perget die Lunae hora X—XI.

IACOBUS CARO, D. disseret 1) *publice* de *Arte diplomatica* binis horis die Merc. II—IV; 2) *privatim sed gratis Exercitationes historicas* moderabitur die Iovis hora V—VI.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS KLOPFLEISCH, D. tradet 1) *privatim Historiam artium universalem* (architecturae, sculpturae, picturae) quater per hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis hora II—III, quacum 2) *Excursiones archaeologicae* die Saturni horis pomerid. coniunctae erunt; 3) *privatissime* sed *gratis Exercitationes de cognoscendis et perscrutandis monumentis veterum gentium septemtrionalium in Europa* bis per hebd. diebus Lunae et Martis hora XII—I; 4) *privatissime* sed *gratis Exercitationes criticas de artificiis, de rebus historiae artis et mythologiae germanicae* die Mercurii hora XII—I moderari perget.

ERNESTUS ABBE, D. 1) *privatim* docebit *Geometriam analyticam* quater per hebd. h. XI—XII; 2) *privatim Theoriae gravitationis, electricitatis atque magnetismi fundamenta mathematica* exponet quater per hebd. hora XII—I.

BERNARDUS ED. SIMSON, D. *privatim Historiam Romanorum inde ab u. c. usque ad bella ab eis cum Poenis gesta* enarrabit quinquies per hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris hora X—XI antemerid.

G. EBERS, D. 1) *gratis veterum Aegyptiorum monumenta privata* explicabit, die Lunae, hora IV—V; 2) *privatim Plutarchi* περὶ Ἴσιδος καὶ Ὀσίριδος *libellum* habita monumentorum ratione interpretabitur, ter per hebd., horis posthac def.

BERNARDUS SCHMIDT, D. *privatim Topographiam urbis Athenarum* coniunctam cum potissimorum monumentorum accuratiore descriptione exponet diebus Merc. et Sat. hora IX. m.

REINOLDUS BECHSTEIN, D. 1) *gratis Godefredi magistri Argentoratensis poema 'Tristan et Isolde'* interpretari perget bis per hebd. hor. IX—X; 2) *Syntaxin linguae theodiscae* docebit bis per hebd. hora X—XI; 3) *privatissime* sed *gratis Exercitationes criticas in scriptis theodiscis medii aevi* cum sodalibus instituet bis per hebd. horis adhuc definiendis.

RECENTIORUM LINGUARUM LECTOR

SALVATOR DE SOTO, *privatissime linguas anglicam, francogallicam et hispanicam* docebit, diebus et horis auditoribus commodis.

ARTIUM LIBERALIUM DISCENDARUM OPPORTUNITAS.

Armorum tractandorum artem publica auctoritate docebit *Frid. Aug. Guil. Ludov. Roux.*

Qui sonorum studiis nervorumque cantu delectantur, hasque artes perdiscere cupiunt, iis operam suam spondet *Ernestus Naumann*, Dr. ph., academic. symphoniarum praefectus.

Georg. Franc. Adolph. Besemann artem docebit instrumenta anatomica et chirurgica fabricandi.

Albert. de Obstfelder artem saltandi docebit.

Carolus Zeiss officia sua offert iis, qui artem instrumenta physica construendi addiscere cupiunt, nec minus lentium vitrearum opticarum elaborationem, earumque coniunctionem docebit.

Artem equitandi docebit *Gustavus Kessler*, equitandi magister academicus.

INSTITUTA PUBLICA.

Bibliotheca academica libros petentibus in usus domesticos quotidie patet hora XI—XII et hora I—II diebb. Mercurii et Saturni.

Hortus botanicus Magniducalis quolibet septimanae die apertus est litterarum studiosis.

Laboratorium chemicum instituti chemico-pharmaceutici, qui visere volet, huic instituto praefectum adibit. Usus vero *Collectionum rerum* et *librorum* ad studium pharmacognosiae, pharmaciae atque chemiae spectantium instituti chemico-pharmaceutici sodalibus h. l. q. consuetis conceditur.

Museum mineralogicum Magniducale aperitur d. Veneris h. XI—I.

Museum zoologicum quovis die Saturni hora XI—I visentibus patebit.

Speculam astronomicam Magniducalem et *Museum anatomicum* qui visere volet, his institutis praefectos adibit.

Museum archaeologicum quovis Mercurii die h. XI—I visentibus aperitur.

Museum numorum orientalium Magniducale hora visentibus commoda aperietur.

Museum Germanicum quovis Saturni die hora XII—I visentibus patebit.

Typis Ratii.